

## CAPUT XL

let: atque id quidem eo indignius, & turpius, quod ejusdem omnino fraudis sub Clemente VIII. in trigesima-quinta Congregatione postulatus esset.

Nihil ad hac pro sua fidei liberatione reposuit Baftida; sed in priores argumentationes excurrentes, ea compendio resumit, quae prolixius a Lemosio confutata fuerant. Gratiam adjuvantem nulla ratione praviam dici voluit, sed comitem tantum. Distinctionem sensus compositi, & divisi bonam fassus est, & Scriptoribus etiam Societatis familiarem; sed perperam praesenti instituto a Thomistis accommodatam. Argumentum, ex mandatorum possibilitate petitur, denuo recedit: nullam in iis fore, afferens, implendi praecipit potestatem, qui desideratam a Thomistis gratiam efficacem non haberent, si absque eius ope Divina lex non posset impleri. Ceterum in investiganda Calvinii mente non ita immorandum, ait, cum satis abunde sufficiat, si noverimus, hanc esse Ecclesiae doctrinam, quam S. Prosper lib. 2. De vocatione Gentium, cap. 26. exponit in hunc modum: *Gratia quidem Dei in omnibus justificationibus principaliter praeminet, suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsam illuminando, & fidei affectionibus imbuendo; sed etiam voluntas hominis subjicitur ei, atque conjungitur, quae ad hoc praedictis est excitata praesidiis. Ubi nulla gratia se ipsa efficacis, ac physice praedeterminantis mentio.*

Ultimum illum Baftida conatum repulit Thomas de Lemos. Prosperum Moliniano dogmati eripuit, qui licet eo loci morales excitationes agnovit, gratiam nihilominus praeventientem, bonae voluntatis creatricem, saepius defendit. Ac ne quisquam Molinianam gratiam illico statui crederet, quoties apud Ecclesiae Patres sonat excitationis nomen, sequenti observatione ambages omnes, ac tricas dissipavit. *Pro intelligentia Sanctorum, & Doctorum Ecclesiae advertendum est, triplicem esse excitationem. Nec enim Sancti solum, sed Ecclesia petit a Deo excitationes: Excita, Domine, tuorum fidelium voluntates. Alia est ergo excitatio intrinseca, & quae nullas dat vires voluntati, ad modum, quo quis dormientem excitaret, ut periculum imminens fugeret, quem constat nullas ei dare vires: Hanc Pelagiani admiserunt. Alia est interior excitatio, dans animam vires sufficientes tantum ad operandum: & per hanc potest homo operari; non tamen operabitur, donec adveniat gratia tertia physice operans: Et utramque istam excitationem admittunt Reverendi Patres. Tertia excitatio, de qua Sancti loquuntur, & quam Ecclesia a Deo petit, est excitatio efficacissima vires tribuens voluntati, illam applicans ad operandum, & infallibiliter effectum inducens; & ista includit gratiam adjuvantem ex parte gratiae praeventientis. Et sic intelliguntur Sancti; etque doctrina S. Thomae 1. p. q. 106. a. 2. ubi dicit, duplicem esse illuminationem, aliam per modum suadentis; & sic Angelus potest hominem illuminare: alteram ex parte potentiae, quae Deus mutat voluntatem; & ista est propria Dei. Et hanc antecedentem excitationem, immutantem voluntatem, Reverendi Patres non agnoscunt.*

Quo audito, spondit Baftida, ostensurum se alia occasione, nullam istiusmodi praeventientem excitationem dari, quae vires efficacissimas voluntati tribuat, & operi applicet. atque ita Congregatio desit.

*De Gratia se ipsa efficaci in octava Congregatione disputatur ex mente D. Augustini; ac demum, uti Scriptoris, Concilii, & Augustini consona, judicatur. Nona.*

Die 22. Novembris, praesente Paulo V. Pontifice Maximo, fuit octava Congregatio. Actum de eadem Gratia per se efficaci, ac physice praedeterminante, juxta mentem S. Augustini.

Initium fecit Ferdinandus de Baftida ab opposita Bannesiana, ut aiebat, & Augustiniana doctrinae collatione. Priorem doctrinam hinc septem capitibus complexus est. 1. Intercedere in nostra conversione susceptiones, excitationes, vocationes, & id genus alia: in his tamen non consistere efficacem gratiam, per quam Deus praestat, ut velimus, & ex nolentibus volentes facit. 2. Praedeterminantem gratiam, in qua gratia efficitur, posita est, esse praeventientem adjuvantem. 3. Hac efficaci gratia non ita dari potestatem agendi, ut dimittatur voluntas, ut, si velit, agat, sed physice praedeterminatione applicari, ut velit, & agat. 4. Hanc gratiam tam necessario esse cum effectu connexam, ut cuicumque, & quomodocumque disposito, & quocumque tempore detur, semper congrua sit, & effectum fortietur. 5. Impossibile esse, gratiam hanc contineri, vel cum voluntatis sensu conjungi. 6. Sine hujusmodi gratia (quae tamen pro solo Divino beneficio datur, & denegatur), neminem posse converti; & nihilominus hominem impurari, si non convertatur. 7. Tandem esse hanc gratiam adequatam causam nostrae conversionis.

Augustinianam et contra septem illis oppositis articulis definiit. 1. Non solum in nostra conversione intercedere susceptiones, vocationes, excitationes, & his similia, sed illius Deum agere, ut credamus, voluntates nostras converteret, & carum refracta saevicia, ex nolentibus volentes faceret. 2. Gratiam praeventientem esse vocationem; gratiam vero adjuvantem & a vocatione, & a praeventiente gratia distingui. 3. Deum ita sua gratia trahere, ut homini dimittat, ut, quod voluerit, eligat, & quae applicet ad operandum. 4. Gratiam eandem unum esse congruam, & non alteri; unum movere, & non alium, propter diversas affectiones eorum, quibus datur: gratiam, quae, uno tempore data, respiciatur, ad aliud tempus dilatari acceptari. 5. Gratiam, quam reprobi contemserunt, nisi per eos iterisset, futuram fuisse in illis efficacem. 6. Omnes, qui efficaci gratia caruerunt, per gratiam, quam habuerunt, potuisse re ipsa converti, & ad Deum venire, si voluissent. 7. In nostra conversione adhibendam esse nostrae etiam voluntatis efficaciam; & causam, quod Divina Gratia non adjuvatur, in nobis esse, non in Deo. Hos vero articulos permittit S. Augustini testimonio confirmavit.

Nec modo sententiam ipsam gratiae praedeterminantis cum adversa Augustini sententia contulit; sed & ipsa, quibus superstruitur, fundamenta Augustiniana doctrinae principii opposuit. Quae de causa Thomista eo maxime titulo gratiam se ipsa efficacem, ac physice praedeterminantem defendere, observavit, ut necessariam causam secundae subordinationem tueretur; ut creatae libertatis ab increata dependentiam astruatur, ut certam demum actuum liberorum cognitionem Deo vindicent: quae tria, usque adeo

adeo D. Augustini principii repugnare, ait, ut nihil magis.

Id ut evinceret, celeberrimum argumentum, ex duplici status distinctione petitur, plurimum extulit. Quod est, inquiebat, non intelligi, quando contingat, solvi tamen impossibile est. Sic etenim difficultatem pro vitibus urgebat: S. Augustinus in Angelis, & primo Homine non constituit auxilium praedeterminans ad operandum: Ergo non creditur, hoc auxilium esse necessarium propter dependentiam causae secundae a prima, vel secundi liberi a primo libero, vel propter cognitionem infallibilem effectuum liberorum. Consequenter evidens est; quia S. Augustinus non ignoravit, Angelos, & primum hominem operari, tanquam causas secundas, liberas, dependentes a causa prima, & a primo libero, & cognovisse Deum eorum actus liberos futuros. Ergo, si, hoc non obstante, non posuit in illis auxilium physice praedeterminans, evidens est, Augustinum non credidisse hoc auxilium praedeterminans esse necessarium ad salvandam dependentiam causae secundae a prima, vel ad infallibilitatem cognitionis Divinae circa effectus liberos. Augustinum non posuisse in Angelis, & primo homine hoc auxilium praedeterminans, quod est antecedens propositi huius argumenti, constat evidenter ex illo testimonio De correctione, & gratia, cap. 11. & 12. quod contra nos urgent hi Patres. Nam ipsimet contendunt, ex hoc testimonio astruere physicam praedeterminationem, inferendo illam ex differentia, quam S. Augustinus constituit inter gratiam, quam Angeli, & Adam habuerunt, & illam, quam nos modo habemus. Igitur oportet, ut vel huic testimonio renunciet, vel fateatur, S. Augustinum in Angelis, & in primo homine non posuisse gratiam physice praedeterminantem. Alias enim corrumpit tota machina suae ratiocinationis, & argumenti: si enim toto tempore, antecedente peccatum, & ad omnia opera, quae tunc fecit, habuit Adam gratiam praedeterminantem, & solum ei defuit in instanti, quo peccavit; nulla inter Adam, & nos differentia est. Nam & nos toto tempore ante peccatum habemus gratiam praedeterminantem juxta hanc sententiam, nec nobis deest, nisi in instanti, quo peccavimus. Sed non solum ad hominem, ut ajunt, sed simpliciter ex ipso Augustini contextu evidens est, Augustinum hoc loco sensisse, Adamum, & Angelos non indignisse, ut perseverarent, alio adjutorio Dei, praeter illud, quod habuerunt. *Habuit enim primus homo gratiam, ut ibi Augustinus ait, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset. Tale quippe erat adjutorium. . . . in quo permaneret, si vellet.* Nullo ergo alio adjutorio indigebat ad perseverandum. *Nam ut vellet, in libero ejus reliquit arbitrio. Deus quippe fortissimo Adamo dimisit, atque permisit facere, quod vellet.* Ergo cum hoc auxilio, sine alio praedeterminante, Adam perseverasset, si voluisset, juxta doctrinam Augustini. Immo si aliud auxilium illis fuisset necessarium, jam non sua culpa cecidissent. Denique Augustinus affirmat, deseruisse Adam per liberum arbitrium adjutorium illud, quod si non deseruisset, semper fuisset bonus; & quia adjutorium deseruit, deseruit fuisse. Ergo demmet adjutorium, quod toto tempore praecedente habuerat, deseruit. Ergo adjutorium illud non erat physice praedeterminans; alias deseri non potuisset ab Adamo; sed oportet, ut prius a Deo desereretur propter negationem talis adjutorii. Praeterea nec Deus in Angelis, & homine ostendisset prius,

quid posset arbitrium, & postea quid posset gratiae beneficium, ut Augustinus cap. 10. affirmat: sed potius ostendisset prius, quid posset gratia, postea quid posset arbitrium. Nam per gratiam physice praedeterminantem conservasset Deus Adam toto tempore usque ad peccatum, in quo ostendisset, quid posset gratia; postea vero eum relinquendo per ablationem gratiae physice praedeterminantis, ostendisset, quid posset arbitrium. Tandem de Angelis ipsis, docet Augustinus, stetit eo auxilio, quod datum eis fuit, ut, si vellet, starent: cui etiam comparavit auxilium datum Aede: Ergo etiam Adam eo auxilio steterit, si voluisset.

Est igitur in via Augustini evidens, & Adam sine auxilio, physice praedeterminante, permanisse in gratia, toto tempore, quo duravit innocentia status, multaque opera bona sine auxilio praedeterminante fecisse; & illo adjutorio, quod habebat, perseveraturum fuisse, si voluisset de Deo fidere; ut in lib. 14. De Civitate Dei cap. 17. Augustinus affirmat. Id, quod illo adjutorio, quod de facto habuit, facere poterat, absque ullo alio superaddito.

Igitur, cum tam ad hominem, ut ajunt, quam ex ipsius Augustini verbis constat, non posuisse Augustinum auxilium physice praedeterminans in Angelis, nec in primo homine; quis tam hebes erit ingenio, ut statim non videat, evidenter ex hoc consequi, non sensisse Augustinum, auxilium physice praedeterminans esse necessarium ex dependentia causae secundae a prima, vel ex medio infallibilis cognitionis effectuum liberorum? Corruit ergo ex doctrina Augustini praecipuum physice praedeterminationis fundamentum; & ita hoc argumento penitus evertitur, ut pene superfluum videri posset, aliquid amplius addere.

Difficultatem auxit idem Actor ex aliis Thomisticae doctrinae consecratis, quae S. Augustinus in Pelagianis, & Manichaeis, velut ex initiatore, confutaverat. Sic saepius contra Pelagium ostendit, bona opera nostra non esse Deo tribuenda, propter aliquid, quod & bonis operibus, & malis commune sit; ne Deus auctor afferatur bonorum operum, & malorum. Sic adversus Manichaeos detestandam, & abominandam opinionem appellat, quae Deum alicujus malae voluntatis, aut malae actionis credit auctorem. Sic demum praedeterminationis necessitatem, pro afferenda Divinae cognitionis infallibilitate, funditus evertit, cum docet, Deum omnia, quorum est auctor, praescire quidem; non tamen omnium, quae praescit, auctorem esse.

Nihil minus sanctissimi Doctoris principii opponi, ait, fundamentum aliud, ex quo gratia per se efficacis necessitatem inferri, sui Auctores arbitrantur: nimirum, quia per efficacem gratiam facit Deus, ut faciamus, & operatur velle, atque perficere; quod, inquiunt Thomistae, gratia non praestat sola potestatis collatione, sed determinatione voluntatis. Longe enim aliter, objiciebat Baftida, statuit Augustinus, dum ait: *Coram est, nos velle cum volumus; sed ille facit, ut velimus: coram est, nos facere, cum facimus; sed ille facit, ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati: hinc etenim, alitque similibus locis, aperte constat, solum ad collationem potestatis spectare id omne, quod Deus facit in nobis sine nobis: nec aliter facere Deum, ut faciamus, antecedenter ad nostros actus, quam dando vires efficacissimas, ut possit; & vocando, excitando invitando, ut velit.*

Eadem denique antilogia laborare, ostendit ultimum Scholae Thomisticae fundamentum, quod

ex omnipotentissima Dei potestate ad inclinanda, quo voluerit, hominum corda, gratiæ prædeterminantis necessitatem deducunt; cum eam omnipotentiam duntaxat constituit Augustinus in potestate habendi diversos, & innumerabiles modos, ad inclinanda hominum corda, qui per Angelos etiam bonos, aut malos executioni demandari possint. Quo dicto, aliis dedit dicendi locum.

Successit in actione Thomas de Lemos. Gratiæ seipsa efficacia dogma S. Augustini asseruit, non uti doctrinam, opinionem liberam, sed ut agitatæ Pelagianos inter, & Catholicos controversiæ caput, pro quo tot annos gloriosissime decertasset. Nonnulla S. Doctoris principia recensuit, unde id perspicue colligitur, cæteris omisissis, de quibus in superioribus Congressibus dixerat.

Primum erat ex Epistola 107. ad Vitalem; ubi controversiam, ab Ecclesia contra Pelagianos institutam, hoc uno verbo complectitur: *Utrum ideo nobis gratia detur, quia volumus; an per ipsam Deus etiam hoc efficiat, ut volumus?* Quod non nisi per gratiam efficacem, & quidem prævenientem, fieri, ibidem ostendit.

Alterum erat ex conditione Gratiæ Redemptoris, de qua fute in libro De corpore. & gratia capitibus 11. & 12.; hanc etenim tale describit Augustinus, que non det tantum posse, quod volumus, sed & velle, quod possumus; ut infirmitas voluntatis humanæ Divina ope indeclinabiliter, & insuperabiliter agatur, Deoque donante, inviolabiliter, quod bonum est, velit, & hoc deferere, inviolabiliter nolit. Non ergo, inferebat Lemos, talis est gratia efficax Redemptoris, cujus effectus pro voluntatis nutu suspendatur, sed que confensum ita indeclinabiliter inferat, ut cum dissentio componi nullatenus possit. Qua in re gratiam physice prædeterminantem positam, fatebantur Societatis Oratores.

Tertium (quod maxime in objectionum solutione ponderavit) erat ex conditione gratiæ adjuvantis, seu efficacis, quam non modo prævenientem, docet Augustinus, sed Pelagianum erroris caput in eo posuit, quod istud inficiari aut essent. Urgebat in hunc finem Vir eruditus Augustini verba lib. 2. De Peccatorum meritis, & remissione, cap. 5. *Deus, qui est lux hominis interioris, adjuvat nostra mentis abstratum, ut non secundum nostram, sed secundum ejus justitiam, boni aliquid operemur. Si autem ab illo avertemur, nostrum est; & tunc secundum carnem sapimus, tunc concupiscentiæ carnis ad illicita consentimus. Conversos ergo Deus adjuvat, aversos deserit: sed etiam ut convertantur, ipse adjuvat, quod certe oculis corporis lux ista non præstat.* Ubi gratiam adjuvantem prævenientem esse, supponit, dum ea hominem adjuvari dicit, ut bonum aliquid operetur, & convertatur. At longe locupletius Pelagianum erroris summam recenset libro de Gratiâ Christi, cap. 5. *Ecce est totum dogma Pelagii in libro ejus tertio pro libero arbitrio his omnino verbis diligenter expressum, quo tria ista, unum, quod est posse, alterum, quod est velle, tertium, quod est esse: id est, possibilitatem, voluntatem, actionem, tanta curavit subtilitate distinguere, ut, quandoque legimus, vel audimus, Divinæ Gratiæ adiutorium consistere, ut a malo declinemus, bonumque faciamus, sive in lege, atque doctrina, sive ubilibet constituat, sciamus, quid loquitur; nec erremus, aliter eum intelligendo, quam sentit. Scire quippe debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem Divino adjuvari, credit, auxilio, sed solum possibilitatem voluntatis, atque operis, quam solum in his tribus nos habere, assermat; ex Deo; tanquam hoc sit infirmum, quod Deus*

ipse posuit in natura; cætera vero duo, quæ nostra esse voluit, ita sine firma, & fortia, & sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio; & ideo non adjuvet, ut velimus, non adjuvet, ut agamus, sed tantummodo adjuvet, ut velle, & agere valeamus. *Quem locum in Societatis Actorem ita regerebat Thomas de Lemos: Duo expresse dicit Augustinus, ex Pelagio, quæ expresse R. Pater protulit. Primum docet, Pelagium negare adiutorium, ut velimus, ita quod gratia vere adjuvans non sit præveniens, & adjuvans voluntatem, ut velit: quod in terminis contendit Pater. Alterum, quod ex Pelagio refertur, istud est: Ipsam tantum admittere præveniens adiutorium, tribuens bene operari; quod Patres Reverendi expresse modo dixerunt: & quod magis est, dicit Augustinus, totum dogma Pelagii in hoc situm esse, quod negat adiutorium præveniens, ut velimus, & admiserit adiutorium præveniens, ut possimus.*

Quartum erat ex omnipotentissima Dei potestate, qua nolentes, ac repugnantes hominum voluntates inflectit, immutat, convertit, & transfert, quo voluerit, quomodo voluerit, & ubi voluerit. Qui etenim fieri potest, ut efficaciam, ex voluntatis assensu suspensa, nolentes, ac repugnantes hominum voluntates pro Dei nutu, & arbitrio convertat? Quæ pacto faciat illa ex nolentibus volentes, ac repugnantes consentientes, si ipsa volentes, ex repugnantes consentientes, si ipsa nolentes repugnantes cassam illam, & inutilem reddat? Et hæc tamen inconcussa principia millies urget Augustinus.

Quintum erat ex supremo, & invictio Dei dominio. Ei quippe, inquit Augustinus, volenti saluum facere, nullum humanum resistit arbitrium; quia plus habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas. *Ne, resumebat Lemos, homines ipsi sua potestate se libere applicant, & determinant physice ad volendum, salva ipsorum libertate: ergo multo magis poterit Deus hominum voluntates physice prædeterminare, salva libertate ipsorum.*

Sextum erat ex professione Massiliensium, de quibus S. Prosper in sua ad Augustinum Epistola sic habet: *Removeri omnem industriam, dicunt, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates. Et sub hoc prædeterminati nomine fatalem quamdam induci necessitatem.* Massilienses enim, resumebat Vir eruditus, de æterna prædeterminatione locutos, quæ decreto per se efficaci niteretur, nemo dubitat. Quis enim illos ita hebetes putet, ut fatalem necessitatem orituram arbitrarentur ex æterna prædeterminatione, cui Scientiæ Mediæ lumen certo præfulgeat? Decreta igitur per se efficaciam, quibus Massilienses ostendebantur, propugnaverat Augustinus. Quidni ergo gratiam per se efficacem, ac physice prædeterminantem, quæ ad illa necessario consequitur? Aut certe, si æterna illa Divinæ voluntatis prædeterminatio libertati non officit, uti Massiliensibus videbatur; ne illi quidem officiet gratia prædeterminans, quæ ejus tantum virtute nititur, agitque hominum voluntates.

Septimum erat ex libera Cardinalium Societatis confessione. Tolerus scilicet super Epistolam ad Hebræos, cap. 11. Annotatione 4. doctrinam gratiæ physice prædeterminantis S. Augustino vindicavit. Eandem ab Angelico Doctore traditam, agnoscebat Bellarminus lib. 4. De gratia Christi, & lib. arbitrio, cap. 11. ut plane mirari fubeat, Societatis Theologos in ea oppugnanda veritate tantum defudare, quam ipsorum Scholæ Principes bona fide confessi sunt.

His

His positis Angelicæ Scholæ fundamentis, cætera diruit, quibus pars opposita nitebatur. Septem Augustinianæ doctrinæ articulos, a Baftida recentis, sic exposuit, ut nullus omnium esset, qui Thomistico dogmati officeret.

In primo igitur duplex suasionis genus distinguit ex Augustino. (1) Unam simplicem vocabat, dum Deus interius quidem, sed tamen moraliter tantum suadet homini bonum; quam ne Pelagius quidem ultimo tandem inficiari ausus est: alteram profundiorum, a gratia efficaciter prædeterminante nihilo distinctam, qua non suadetur modo, sed persuadetur; non morali excitatione, sed efficacissimum virium largitione; ut indeclinabiliter, & insuperabiliter, quod bonum est, velit, & hoc deferere, inviolabiliter nolit.

In altero pariter duplicem statuit vocationem: communem unam, qua vocati sunt, etiam qui noluerunt venire ad nuptias; specialem alteram secundum propositum Dei, qua vocati credentes sunt; quæque ideo gratiam adjuvantem, & quidem prævenientem, includit. Nec obstat inquit, quod habet Augustinus in Enchir. cap. 32. (2) *Quomodo ergo non volentis, neque currentis, sed miseris est Dei? Ut totum Deo detur, qui bonam voluntatem & preparat adjuvantem, & adjuvat preparatam.* Quo ex loco gratiam preparatam, seu prævenientem, ab adjuvante omnino distinguat, collegerat Baftida. *Quia sensus est, quod Deus preparat per excitantem, & adjuvantem gratiam voluntatem adjuvantem per gratiam subsequentem; & adjuvat, subsequendo voluntatem jam preparatam per priorem gratiam adjuvantem.* Quæ ex eo patet, quia Augustinus dicit, hoc ita esse dicendum, ut totum Deo detur. Ergo, ut totum Deo detur, ipse non solum adjuvat, subsequendo, sed etiam adjuvat, præveniendo, ut volumus; alias sine dubio, si ut volumus, non adjuvantur a Deo, non totum Deo datur, sed homini, qui ex se solum se applicat ad volendum.

Tertium articulum lubens admittit, quo solum homini libertas asseritur quidquid voluerit eligendi; ut tamen, ut Deus operetur & velle, quemadmodum millies innuit Augustinus. Immo cum lib. 2. contra Irenæum Petilianus, cap. 84. scribat, intellectum vix assequi posse, quo pacto sua ista homini eligendi libertas, dum trahitur a Deo Patre; argumento est, non cum solis suasionibus, ac invitationibus pertrahi; quas cum humana libertate facile componi, obtrahitoris ingenii viri fati capiunt.

Quartum exposuit de congruitate, quam gratia in humanis affectionibus facit, non natura, teste Augustino in illa ipsa questione secunda ad Simplicianum, quam toties Molinianus Actor importune recoxerat. *Cum ergo, inquit S. Doctor sub questionis finem, non ea doleant, quibus proficiamus in Deum, inspiratur hoc, & præbetur gratia Dei; non nutu nostro, & industria, aut operum meritis comparatur. Quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur.*

Quintum negavit, uti ex adducto Augustini loco præpostere deducit. Quid enim, addebat, si dixerit S. Doctor quest. 2. ad Simplicianum, *Esau Divino adiutorio perventurum fuisse, nisi, vocatione contenta, reprobos evasisset?* Non enim hoc innuit, contentam illam vocationem nativo Esau conatu efficacem evasuram, sed Deum ipsum potentioris auxilii largitione bonum opus perfecturum, quod prima illa vocatione cæperat, nisi eam Esau contempsisset.

Sextum concessit, modo de potentia antecedenti Serry Tom. I.

(1) Lib. De Gratiâ Christi cap. 10. Lib. De Spir. & Litt. 3. cap. 3. De Corpore & Gratiâ, cap. 11. & 12.

(2) De Præd. 55. cap. 45.

te, & ab actu sejuncta intelligeretur. Porro, subiunxit, tamen potentia consequenti salvari non possint, qui auxilio per se efficacis destituerunt; sua tamen culpa damnantur, qua & dejectionem illam sibi sumunt, & auxiliis sufficientibus abutuntur.

Duplicem tandem ultimi articuli sensum aperuit. Vel enim, inquebat, adhibenda dicitur voluntatis efficaciam, ut gratiam, suapte natura versatilem, efficacem constituat, & una cum ipsa, uti causa partialis, operetur; quod & a vero, & ab Augustino remotissimum est: aut eius efficaciam desiderari intelligitur, ut Spiritui Sancto moventi, & excitanti, ex ipsa gratiæ virtute præstet assensum: quod a Thomistis, & ab Augustino perinde defenditur.

Dum septem illa objectæ antilogiæ capita prolixius exposuisset Prædicatorum Orator; ad alteram se contulit adversa Actionis partem, ubi scholæ Thomistice fundamenta adversis Augustini principis impetebantur. De duplici status distinctione, unde palmare argumentum desumerat Societatis Actor, ita pronuntiavit: *Ad ista tria, & ad alia necessarium est auxilium, physice, & efficaciter præveniens, seu prædeterminans, & potissime ex subordinatione, quam in operibus gratiæ secundum liberum habet a primo libero. Nec S. Augustinus citato loco (De Corpore, & Gratiâ, cap. 12.) hoc negat: ibi enim, quod est attente considerandum, constituit S. Doctor differentiam inter hominem, & Angelum cum gratia justificante, & inter hominem lapsam etiam cum eadem gratia justificante, in hoc, quod Angelus, vel homo in illo primo statu, & ante peccatum habet naturam integram in suis naturalibus, ita quod non erat cum rebellionem carnis. Unde per gratiam justificantem talis erat, quod ad perseverandum non indigebat aliquo alio auxilio gratiæ, dante efficacioribus, vel majores vires voluntati. At vero, cum justificatur in natura corrupta, quia habet rebellionem carnis, que non tollitur per gratiam justificantem, indiget homo, ut perseveret, auxilio, dante majores, & efficacioribus vires. Et ista doctrina est differentia, quam S. Augustinus in utroque statu constituit; non vero negat, hominem etiam in illo primo statu indiguisse Divina motione, movente, & applicante ipsam ad operandum: quia ista generalis motio in omni statu etiam perfectissimo necessaria fuit ex essentiali subordinatione, quam habet secunda causa, ut moveatur a prima. Quod aperte cum alibi, tum expresse docet S. Thomas 1. 2. qu. 1. art. 1. & 9. ubi aperte docet, hominem in statu nature corruptæ indigere auxilio Divino, duplici ratione: primo ratione generali, quia nulla creatura operatur sine motione Divina; & secundo ratione speciali, quia est in natura corrupta.*

De Thomistice doctrinæ consecratis, quibus Divinam sanctitatem lædi, Baftida reposuerat, nihil habuit, cum hic de gratiæ efficacis auxilio disputaretur, ex quo istiusmodi consecraria nec per umbram deducuntur: de quibus tamen se dicturum, promisit, ubi de physica prædeterminatione in ordine nature sermo foret.

Alias Augustini locorum expositiones, quibus ultima duo Thomistice scholæ fundamenta impetebantur, Pelagianismi incutavit; idem plane ab inimicis Gratiæ Christi Augustino objectum, demonstrans, idemque ab ipso copiosissime confutatum. Quo dicto, Actioni suæ finem fecit.

Tempus erat, ut utrique Oratores loco cederent; quippe qui prima illa visitatione quatuor, & amplius horas sacrum Confessum detinuerant. Verum, repente in oppositum Ferdinando de Baftida, priora resumit Thomas de Lemos, di-

P p  
ctisque

## CAPUT XIII

hisque robur addidit. Ceterum, cum eo præsertim tenderet novus ille conatus, ut Molina De seniores exagitarer, quod jejuna illa excitationum, & illuminationum commendatione veram Christi gratiam, quæ adionis est, non agnoscerent, prorupit ex Scholæ suæ zelo Bartholomæus Peres, " Videtur, inquit, vestra Paternitas, dicere, quod nos reducamus gratiam ad illuminationes, & suasiones, & eas non esse veram gratiam Christi, quæ facit, nos facere. Et tamen Concilia, & sanctus Augustinus in eis revelationibus constituunt, quod facimus. Ista suasiones non sunt a libero arbitrio, ergo a Christo; immittit enim Deus terrorem penarum, metum mortis, spem futurorum honorum, & istis gratias efficit Deus nostram conversionem, & efficiamus nos. Verè ergo est ista efficientia moralis a gratia &c.

Cui Lemos: *Dixi, Pelagium non agnovisse veram gratiam Christi facientem nos facere, de moribus ergo illustrationibus Pelagius apud Augustinum lib. de Gratia Christi, cap. 7. dicebat: Adjuvat nos Deus per doctrinam, & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, ne presentibus occupemur, futura demonstrat; dum diaboli pandit insidias, dum nos multisiformi, & ineffabili dono gratia Cœlestis illuminat. Aliud ergo est loqui de gratia absolute, aliud de gratia faciente nos facere. Quamlibet ergo ponat Pelagius gratiam, etiam adjuvet possibilitatem nostram; tamen, nisi faciat, nos facere, nisi adjuvet voluntatem, & actionem, non est ea gratia Christi, de qua est presens controversia, neque recedit a lege, & doctrina. Certe gratia sufficiens est gratia Christi; sed sufficiens, non quæ dat actu vello, de qua contra Pelagium. His dictis receptui cecinit apparitor.*

(1) S. D. N., quoniam Patres Societatis petierunt, ne Congressus isti fierent singulis hebdomadibus, voluit, ut DD. Consultores responderent in prima futura Sessione, An producta ab illis in defensionem suæ sententiæ in præhabitis Congressibus ejusmodi essent, ut propter illa discendum esset a decreto in Sessione quinta.

Judicium de tribus superioribus dispositionibus.

(2) Die 29. Novembris 1605. post horam 15. resolvit Congregatio, persistendum in sententiâ, non obstantibus ex adverso productis ex Scripturis, quæ ad rem præsentem non spectant; & ex Concilio Tridentino, quod non adversatur veritati assertæ; aut testimoniis S. Augustini De correptione, & gratia, capite 12. quo potius firmatur Conclusio explicata, quod Deus &c. Ita censuerunt omnes, exceptis D. Bitontino, qui cum ceteris censuit, quoad rem, non tamen quoad voces, quas dixit novas, & periculosas; & Patre Regente Collegii Carmelitarum, qui censuit, omnes Scripturas, & dicta S. Augustini optime intelligi ex assertionem gratiæ congruæ; & ex vera, & reali motione antecedente, qualem ponit contraria sententia, tolli libertatem voluntatis humanæ. Dimittitur Sessio prope horam 21.

De Gratia seipsa efficaci in decima Congregatione disputatur ex aliis Ecclesiæ Patribus; in eisdem vero consensu judicatur in undecima.

Die 14. Decembris 1605. habita est coram Paulo V. Pont. Max. Congregatio decima. Quæstio de Gratia seipsa efficaci ex aliorum Patrum testimonia, quibus gratiam seipsa efficacem, & physice prædeterminantem oppugnari, putabat, in quinque classes paritus est.

Societatis causam egit Ferdinandus de Bastida. Patrum testimonia, quibus gratiam seipsa efficacem, & physice prædeterminantem oppugnari, putabat, in quinque classes paritus est.

In prima constituit SS. Patrum contextus, qui prædeterminationem omnem inficiarentur, uti humanæ libertati inimicam. Hoc ordine numeravit Cyrillum Alexandrinum lib. 8. contra Julianum; Anselmum lib. De Concord. Prædest. & præsent. Gregorium Nyssenum Orat. Catech. cap. 31. Abulensem, quem Patribus annumerare placuit, in cap. 15. Matthæi, quæst. 179. Hieronymum Epist. 144. ad Damasum, Prosperum Resp. 6. ad capitula Gallorum, & Joannem Damascenum lib. 2. fidei orthodoxæ, cap. 30. & in Dialogo contra Manichæos. Ex quorum testimoniis colligebatur, repugnare arbitrii libertati, ipsum Divina quadam, & ineffabili vi, & efficacia immutari, juxta Cyrilli doctrinam; determinationem ad solam voluntatem pertinere, ut docet Anselmus: eamque ex aliquo Dei imperio minime provenire, ut monuit Hieronymus: repugnare ratione urentibus aliena ad agendum voluntate duci, ex Gregorii Nysseni doctrina: prædestinationem Divina omnia opera nostra non fieri, si Prospero credendum est: Deum non determinare, quæ in nostro arbitrio sunt, determinatione imponente necessitatem, juxta Damascenum: voluntatem creatam a Deo directe non determinari, si credimus Abulensi. Quæ omnia in gratiam physice prædeterminantem convertebat Societatis A.G.O.R.

In altera Patrum testimonia recensuit, quibus affirmant, nostræ dimitti potestati agere, vel non agere, uti, aut non uti Dei gratia. Hujusmodi erant Joannes Chrysostromus homil. 19. & 22. in Genesim, & homilia de ferendis reprehensionibus: Leo Magnus serm. 7. de Epiph. Hieronymus ad caput 49. Isaïæ: Justinus Martyr, quæst. 9. ad Orthodoxos: Richardus a S. Victore tract. 1. de statu inter. hominis 1. part. cap. 13. Anselmus de Conc. prædest. & præscientiæ; apud quem legere est, Deum ita movere, ut post gratiam Dei totum nobis relinquatur; Deum omnipotentiam suam nostro arbitrio dimisisse, omnesque facultates ad bene agendum usui nostro subjecisse; Deum ita nobis opitulari, ut, si nos non velimus, nihil proficiant ea, quæ alioquin efficacia forent, ut Chrysostromus loquitur.

In tertia classe ea loca posuit, quibus SS. Patres docent, cum aequali gratiæ mensura unum converti, non alterum. Eo in ordine laudabantur Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Joan. cap. 21. Joannes Chrysostromus humil. 16. in Epist. ad Rom. Hieronymus Epist. 150. Gregorius Nyssenus Orat. Catechet. cap. 30. Prosper lib. 2. de vocat. Gentium, cap. 15. quibus & Origenes, uti Saul inter Prophetas, addebat lib. 3. Patriarchon cap. 1. Ad hæc vero Patrum testimonia observabat, illos, dum affirmant, ex pluribus eadem gratia præsentis, unum converti, non alium, loqui de eadem gratia in genere entis. Non enim negant, (subjungebat) in eo, qui convertitur, specialem gra-

gratiam esse; habere gratiam, quæ prævisus est efficaciter convertendus: atque adeo eam gratiam inveniendi, æqualem illi, cum qua alter non convertitur, esse nihilominus majorem in genere gratiæ, & beneficii Dei. Est enim speciale Dei beneficium, dare homini gratiam, quando, & quia prævidit convertendum, si per eam promovetur: Immo in hoc consistit speciale beneficium prædestinationis; & propter hoc semper in Divinam voluntatem sit ultima discretio eorum, qui salvantur, ab his, qui non convertuntur, nec salvantur. Nam quævis ad libertatem arbitrii nostri spectet, consentire, vel dissentire huic gratiæ; dare tamen homini eam gratiam, cum qua prævisus est convertendus, solius Dei est.

Quarto ordine Patrum momenta retulit, qui necessitatem, ex causa antecedenti ortam, libertati repugnare scribant: nimirum Anselmi lib. De Concord. Bedæ lib. variarum Quæstionum, qu. 13. Hieronymi Dial. 3. contra Pelagianos, Cyrilli lib. 9. in Joan. cap. 10. Origenis lib. 2. Contra Cælium: qui libertatem humanæ voluntatis extinctum iri profiterentur, si quid ita nobis accideret.

Quinto demum loco ea recensuit, ubi Divini vocationis modum in suasionibus, excitationibus, admonitionibus, aliisque similibus, moralem duntaxat virtutem præ ferentibus, constituunt: ut Chrysostromus homil. 9. in cap. 1. Joannis; Cyrillus lib. 4. in Joann. cap. 6. & 7. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagog. cap. 7. Prosper lib. 1. contra Collatorem; Irenæus lib. 5. adversus hæreses cap. 1. Philo, Carpaticensis Episcopus, super Cantica. Illas porro Divinæ Gratia excitationes idcirco morales appellari, monuit, quod (est) recales, veræque sint entitates, physica actione nobis immixta) voluntatem tamen morali duntaxat modo ad actum secundum inducant. Quo sensu Divus Ambrosius lib. 4. in Lucam, cap. 4. Deum moralem Dominum appellat; quia, verus licet, propriusque sit Dominus, sui tamen domini jura ita temperat, ut nec volentes repudiet, nec invidios alliget, nec ejicientibus reluctetur, nec rogantibus desit.

Pro Prædicatoribus in arenam descendit Thomas de Lemos. Non antea tamen præsentis controversiæ institutum attingit, quam aliqua, sub præcedentis disputationis finem a Molinianis Oratoribus asserta, & a se ob temporis angustias strictius occupata, prolixius confutasset. Egredior igitur per horam integram de gratia præveniente interioris inspirationis, & excitationis, quam solam illi professi fuerant; eamque a Pelagio in tertio hæresis suæ statum admittam, ac specioso Divini adjutorii titulo coonestatam, ostendit: ab Augustino tamen, (1) uti mere possibilitatis gratiam, non actionis, reputatam, legisque duntaxat, ac doctrinæ loco semper habitam. Ne autem a Pelagianis, alio saltem in capite, distare se, gloriarentur adversarii, quod gratiam cooperantem agnoscerent; hoc illis etiam effugium occultit, obiter innuens, Julianum quoque, Cassianum, & Faustum gratiam cooperantem, Moliano sensu expostitam, admisisse.

Hac præmissa velitatione, se contulit Vir eruditus ad objecta SS. Patrum testimonia. Generalibus primum responsionibus satisfacit; quarum hæc summa erat. Primo, Pelagianis, & Massiliensibus eisdem illas argutias Augustino objectasse: priores nempe verbi Dei Tractatores longe aliter de Divina Gratia sentisse; nullumque omnium reperiri, qui D. Pauli Epistolæ ita dure interpretatus esset. Quibus ille prudenter repofuerat: (2)

Serry Tom. I.

Quid ergo opus est, ut illorum seruentur opuscula, qui, priusquam illa hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem, in hac difficili ad solvendum quæstione versari; quod procul dubio facerent, si responderent talibus cogentur. Secundo, totam illam testimoniorum suppellectilem eo tendere, ut libertas arbitrii commendetur: quod, ut aiebat Augustinus, sine præjudicio Divinæ Gratia, & latentis Dei consilii sumendum est. Tertio, minus curandum, si qui Patres aliter ab Augustino de Christi gratia pronuntiasent: Sola enim, inquit, auctoritas S. Augustini, in hac parte, omnibus illis præponderat; cum ejus doctrina in hac parte sit jam doctrina Ecclesiæ, ab ipsa per tot Pontifices, & Concilia ab hac Sancta Sede confirmata, recepta, & approbata.

Tum ad privatas solutiones veniens, Bastidæ gratias habuit, qui Origenem, Pelagianæ, ut Patres vocant, hæresis fontem, doctrinæ suæ patronum advocaverat; rogans, ut & Pelagium pari jure appellaret. Quæstiones etiam ad Orthodoxos Justinus Martyri: Pædagogiam Clementis Alexandrino falso supponi, monuit; & quibus propterea firmum argumentum peti non posset.

Ad prioris ordinis testimonia respondit, Patres illos prævias humanæ voluntatis determinationes inficiari, quæ libertatem omnino perimant, ac fatalem necessitatem inducant: In hac enim impuganda toti erant, occasione Manichæorum hæresis, quæ a primis sæculis Ecclesiæ iactata fuerat. Sic itaque Deus ineffabili virtute, libertatem, ac meritum præcipiente, non iramatur hominum mentes, juxta Cyrillum: sic determinatio ad solam voluntatem pertinet, uti principium immediate elicivum actus, secundum Anselmum; sic Dei in homines tyrannica imperium nullum plane, ut loquitur Hieronymus: sic aliena voluntate creata duci, repugnat ratione urentibus, ex Gregorii Nysseni principis: sic prædestinationem Divina omnia opera nostra non sunt, quasi cæco quodam gentilitatis fato necessario præcipiamur, & ad unum, brutorum more, determinemur, ex Prospero, Damasceno, & Abulensi. Quas omnes expositiones aliis eorumdem Patrum testimoniis confirmavit; quibus illos gratiæ per se efficaci patrocinatos ostendebat.

Testimoniis, secundo loco positis, uno verbo satisfacit, nihil ex iis colligi, iniquens, adversus gratiam efficacem: utpote quæ necessarium duntaxat voluntatis assensum altruere videantur. Mirari se tamen, subjungebat, cur S. Joannis Chrysostromi, qui solus hoc in capite negotium facebat aliquod, auctoritatem adeo efferret; cum illum Molina ipse (3) Pelagiani erroris petulantius incularit; eundemque defendendum monuerit Cardinalis Toletus, si Augustiniano sensu exponi nequeat.

Patres tertio in ordine laudatos interpretatus est de gratia habituali, non actuali; aut saltem de excitante duntaxat, non adjuvante. Nihil quippe vetat, & duobus, æqualiter iustis, stare unum, excidere alterum: aut e duobus, pari excitatione pulsatis, illum converti, non istum.

Quartam sanctorum Patrum classem exposuit de necessitate causæ antecedentis particularis, non de necessitate, seu verius, infallibilitate omnipotentis Divinæ: juxta illud Doctoris Angelici 1. p. q. 19. art. 8. ad 3. Posteriora habent necessitatem a prioribus, secundum modum priorum. Unde & ea, quæ sunt a voluntate Divina, talem necessitatem habent, qualem Deus vult ea habere, scilicet vel absolutam, vel conditionatam.

Pp 2

Ad

(1) Ex Actis Secretar. (2) Ex Actis Secretar.

(1) Ex lib. De Gratia Christi, cap. 4. 5. 6. 7. 8. &c. (2) De Prædest. SS. cap. 14. (3) In Concord. disp. 41. Toletus super cap. 5. Luca Annot. 54.

Ad ultimum reposuit, laudatos Patres Divina gratia efficaciam aliis in locis commendasse; vel de excitationibus vere internis intelligendos esse, quæ voluntatem proprie, & effective moveant, qualis est gratia ex ipsa sui virtute efficax.

Eam Lemosii Orationem novo impetu occupavit Societatis Theologus, ejusque potissimum prælusorium velitationem, ad quam, ut ajebat, de industria diverterat, ut institutam ex Patribus disputationem effugeret. Contendit, Pelagianos interioris inspirationis gratiam repudiasse; alioquin consequens omnino fore, ut & veram Christi gratiam admiserent; a qua tamen fuisse illos remotissimos, soliusque legis, ac doctrina gratia contentos, certissimum erat. *Has internas inspirationes, inquiebat, dare vires, constat ex multis S. Augustini testimoniis. Sed manifesta sunt illa S. Prosperi lib. 2. de vocat. Gentium, cap. 28. citato supra, ubi eas inspirationes appellat præsidia voluntatis; quia roborant, & inclinant voluntatem ad bonum. Hoc vero nunquam fessus est Pelagius. Itaque nos satemur contra Pelagium, gratiam internam, & eas internas excitationes, & inspirationes physice prævenire liberum arbitrium, illudque actuare, & perficere, tribuendo vires ad opera supernaturalia: Et si Pelagius hanc gratiam agnovit in intellectu, & voluntate, nos sumus Pelagiani. Tum de Lemosio gravius expostulans, quasi qui peregrinas opiniones Societati affinxisset: Negamus tantum, subijungebat, illam gratiam, qua præcise posita, sequitur infallibiliter effectus. Putamus enim, esse de fide, quod effectus non tantum a gratia fiat, sed etiam a libero arbitrio, effectus concurrente. Fatemur ergo gratiam, qua facit facere; ita tamen, ut quando ipsa gratia est posita, voluntas dimittatur in sua potestate, ut vel eam recipiat, vel eam respiciat.*

Molina sentum a Pelagiano distinxit in gratia cooperantis expositione: quia illi, ut observabat, ponebant quendam actum liberi arbitrii, antecedentem gratiam prævenientem, ex cuius merito gratia conferretur: E contra Molina, nihil absolute in effectu novit, quod totum a gratia, idemque totum a libero arbitrio non esset. Quibus omnibus pauca subdidit de sanctorum Patrum testimoniiis initio laudatis, ut petita inde argumenta adversus Lemosii solutiones instauraret.

Nihil hæc Prædicatorem a constitutis principiis dimoverunt. Quin immo tenacius, quam antea, defendit, Pelagium interioris inspirationis gratiam, qua possibilitas adjuvatur, tandem aliquando propugnasse; nec ideo veram Christi gratiam agnovisse, quam Augustinus, & Africana Concilia ad volendum, & agendum exigebant. (1) Quo dicto, commoveri cepit Societatis Actor: *Hoc tantum dico, inquit, Illuminationem Dei in intellectu, & inspirationem internam in voluntate, non esse veram gratiam, ut vos censuistis, est mihi tam dubium, ut putaverim consulendos esse Dominos S. Officii, nec esse in fide tutum. Cui ille propositi tenax: Dico, inquit, hæc auxilia, que dant tantum posse, non esse veram gratiam, quam S. Augustinus, & Concilia contra Pelagium requirunt, esse necessariam ad opera supernaturalia: Et puro, hoc esse firmissimum de fide, & non fidei contrarium. Sicque finita disputatio est.*

#### Judicium de superiori Disputatione.

(2) Die Martis, 3. mensis Januarii, hora 15. anno D. 1606. actum est de quinque capitibus, & de Doctoribus, productis a Patribus

(1) Apud August. lib. De gratia Christi, cap. 14.

Societatis, ad impugnamam sententiam de physica præmatione, & prædeterminatione, quæ fit per antecedentem gratiam, adjuvantem efficaciter; & corroborandam sententiam suam de gratia efficaci, quæ consistit in illustrationibus, & invitationibus. Ex diligentibus locorum inspectione resolvit Congregatio, persistendum in Conclusionem facta, non obstantibus quibuscunque in contrarium productis. Ita censuerunt omnes, excepto P. Regente Collegii Romani Carmelitarum, qui censuit cum Patribus Societatis. Dimittitur Sessio post horam vigesimam-primum.

#### CAPUT XIV.

De Gratia seipsa efficaci, cum Calvinii erroribus collata, in duodecima Congregatione disputatur.

Die 10. Januarii 1606. coram S. D. N. Paulo Papa V. habita est duodecima Congregatio: in qua doctrina Gratiæ per se efficaci, & physice prædeterminantis cum errore Calvinii collata est.

Præmonuit Ferdinandus de Bafida, ostensurum se deinceps, quo pacto auxilium per se efficacem libertatem violaret, gratia sufficientiam everteret, Deum peccati auctorem faceret, & cum damnato nuper Calvinii errore conveniret. Ab hoc nihilominus ultimo initium duxit, nullis, ut ajebat, in hac instituenda collatione, invidiæ, aut contentiosis stimulis provocatus; sed iuste defensionis necessitate, & implendi officii religione: quippe qui auctores illos omnes impense coleret, quorum doctrinam cum Calviniana collaturus esset; illisque certo crederet, nusquam in ea asserenda dogmata fuisse consensuros, si ipsis hæreticorum libros aliqua occasione legere contigisset.

Collationem in tria capita distribuerat. Caput primum complectebatur propositiones viginti, in quibus Thomistæ cum Calvinianis componebantur. Ex iis priores novem ad gratiam seipsa efficacem spectabant; septem aliæ ad Divinam præscientiam, & providentiam; reliquæ quatuor ad contingentiam, & libertatem humanorum actuum.

Prima propositio: Auxilium Dei, secundum se, sive a se ipso, est efficax, ita ut ipsius efficacia non pendeat a voluntate, nec possit ab eadem efficax vel inefficax reddi.

II. Posita gratia efficaci, non possumus non velle, non possumus dissentire, non possumus resistere, aut refragari.

III. Ex hac gratia actus voluntatis sequitur necessario; non suapte natura, sed ex suppositione decreti Divini, vel alterius antecedentis cause.

IV. Sine auxilio efficaci gratiæ homo non potest bene operari, nec ad Deum converti.

V. Quod ex duobus hominibus unus convertatur, alius non, non aliunde, quam ex inæqualitate gratiæ est.

VI. Eos, quibus æqualem gratiam Spiritus paritur, æqualiter cum illa conari, necesse est.

VII. Oblatam gratiam recipere, hoc est acceptare, non nostræ facultatis est.

VIII. Hæc gratia ita voluntatem agit, ut, quamvis voluntas agat, nihilominus adæquata causa conversionis sola gratia est.

IX. Auxilium, in quo consistit perseverantia donum, est inamissibile, redditque hominem immobilem in bono, & independentem a li-

libero arbitrio, antecedenterque facit perseverare.

X. Deus æternus, & immutabili suo decreto omnes nostras actiones, sive bonas, sive malas, prædefinit, ac determinat.

XI. Nisi singula nostræ actiones ex Divina destinatione, seu prædestinatione fierent, non haberet Deus respectu earum providentiam particularem, sed universalem tantum, & confusam.

XII. Omnis effectus, sive bonus, sive malus, & ii, qui fortuiti, & causales sunt, non solum Deo providente, & permittente, fiunt, sed etiam per suum decretum stabiliente, ac prædeterminante.

XIII. Deus, ut prima causa, determinat omnes causas secundas liberas ad suas operationes, sive illæ bonæ sint, sive malæ.

XIV. Omnia futura, etiam mala, cognoscit, & præscit Deus in suo decreto, vel prædeterminatione voluntatis.

XV. Voluntas nostra infallibiliter, & necessario peccat, nisi a Deo efficaciter agatur, ac determinetur ad bonum.

XVI. Deus pro sua voluntate, & arbitrio suo reprobat homines, & æternæ morti destinat, ad ostensionem gloriæ, bonitatis, & iustitiæ suæ.

XVII. Supposita gratia efficaci, vel prædeterminante, voluntas non manet libera; nec conversio sequitur contingenter, vel dependenter ab arbitrio.

XVIII. Liberum arbitrium respectu Dei in operando se habet, ut baculus, vel ferra, vel aliud instrumentum mortuum, quod nullum alium habet motum, nisi quem participat ab artifice.

XIX. Ita admittendum est in homine liberum arbitrium, ut nulla ipsi partes in negotio justificationis relinquatur.

XX. Effectus contingentes, prout substantiæ Divinæ Providentiæ, & consilio, sunt necessarii, quamvis ex sua natura contingentiam habeant.

Caput secundum complectebatur limitationes, quibus tam Calvinianos, quam Thomistas, superiores viginti propositiones pari modo temperasse, contendeat.

I. Limitatio: Gratia Dei non tollit libertatem a coactione.

II. Huiusmodi Gratia efficaci non inducit fatum, quidquid dixerit Semipelagiani.

III. Voluntas potest dissentire, & resistere gratiæ absolute, non tamen in sensu composito.

IV. Deus non movet homines, ut bruta, vel stiptes.

V. Liberum arbitrium non se habet, ut inanimæ quoddam; nam effective producit actum; quamvis in recipienda, sive acceptanda gratia habeat se mere passive.

VI. Hæc Gratia efficaci non ita movet, ut tollat indifferentiam iudicii.

VII. Hæc Gratia non tollit necessitatem, & fructum exhortationum, & suasionum.

VIII. Deus non est auctor peccati, nec malitiæ ipsius; quamvis hominem ad illud moveat, quia semper bono fine id facit.

IX. Doctrinam hanc, etiam si non intelligatur, credendam esse.

Tertio capite conferebantur argumenta, ex auctoritate desumpta, quæ a Thomistis, & Calvinianis ad suas probandas assertiones communiter usurpantur; ut ex hac mutua eorundem fundamentorum collatione perspicuum fieret, quantum in asserta doctrina conveniret, qui iidem principii utebantur.

Integram illam collationem, tribus capitibus distinctam, scripto paraverat Ferdinandus de Bafida. Verum, recitata priori parte, silentium indixit Paulus V., quod solidum in dicendo tempus posuisset. Paratam nihilominus iustificationem Consultoribus, quanta erat, tradi iussit, ne Molinianæ causæ momenta negligerent.

Ex nutu ergo Pontificis peroravit Thomas de Lemos; qui cum animadverteret, idcirco Societatis Oratores Calvinismi notam Thomistis obieciisse, quia primum ipsi Pelagianismi postulati fuerant, utramque simul accusationem in eos rejecit.

Institutam jam pridem contra congruam vocationis gratiam Pelagianismi expostulationem instauravit, multisque confirmavit argumentis. Primum erat; quia Pelagius ob id maxime damnatus fuerat, quod adiutorium prævenientis gratiæ negasset, quo Deus ita vere, ac proprie operatur in nobis velle, & pericere, ut plane repugnet, hominem dissentire. Id ostendit ex Augustino, qui totam eo in capite Pelagianismi accusationem sitam monet, lib. De Gratia Christi cap. 47. Quantum attinet ad istam de Divina Gratia, & adiutorio questionem, tria ista, quæ apertissime distinxit, attendite: posse, velle, esse, id est, possibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo confenserat nobis, non solum possibilitatem in homine, etiam si nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem, & actionem, id est, ut bene velimus, & bene agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando bene vult, & bene agit: si, ut dixi, confenserat, etiam ipsam voluntatem, & actionem divinam adjuvari, ut sine ullo adiutorio nihil bene velimus, & agamus; eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostra iustitia iustos facit; ut ea sit vera nostra iustitia, quæ nobis ab illo est: nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquatur.

Secundum, quia, cum congrua vocatio vere non prædeterminet voluntatem, relict, ut illam duntaxat objective moveat, uti Pelagiani fabulabantur; cum nihil inter illa duo medium occurrat. Bellarmini librum aperuerat Vir eruditus, ut hoc ultimum ejus auctoritate confirmaret: at noluit Purpuratus Princeps appellari contra Suos. *Padre Lemos, inquit, non mi citata qua, che non si bisogna, altrimenti ve risponderò io.* Quare deposito libro, alio se contulit; ut totam Divinæ Gratiæ vim in naturam refundi ostenderet, ex hypothese vocationis congruæ: quod alterum erat Pelagianismi erroris caput, a Conciliis Africanis proscriptum. Illa motio, *subijungebat*, tantum obiectiva, & per modum proponentis obiectum, dicitur congrua uni, & non alteri, quia unus est ita affectus, atque dispositus, ut talis vocatio sit illi congrua, non vero alteri, quia non est ita dispositus. Ita dicunt in terminis Defensores vocationis congruæ. Ergo propter illam affectionem, & dispositionem vocatio est uni congrua, non alteri. Sed illa dispositio, & affectio non provenit a priori aliqua gratia præveniente, cum ex parte hominis supponatur ad illam: habetur ergo talis dispositio, & affectio ex ipsius naturæ viribus, vel ex aliquo materiali temperamento, aut ingenii qualitate, ut dicitur frequenter a Reverendis Patribus. Ergo propter dispositionem mere naturalem gratia congrua, & efficax est in uno, & non in altero. Pendet ergo efficacia gratiæ ab illa mere naturali dispositione, & spectat Deus mere naturalem dispositionem, ut sua gratia in homine efficax reddatur: quod contradicit expresse Con-

„ ciliis hæris, quæ, ut visum est supra, aperte docent, nullam in homine inveniri naturalem dispositionem, ad quam vel gratia sequatur, vel efficac per illam reddatur. &c.

„ Tertium petebat ex Ecclesiæ Orationibus, quo toties Augustinus de Pelagianis triumphavit. Si enim, inquit ille, Deum oramus, ut rebelles voluntates ad se compellat; non ergo nos congruis tantum excitationibus vocat, quæ compellendi vim in rebelles voluntates obtinere nequeunt. Quo loco Suarez etiam effugium ita præcludebat.

„ Sed dicunt, Deum movere interius objective eo tempore, quo scit, hominem consenturum; & hoc esse illud majus beneficium gratiæ, quo Deus homines convertit: quod quidem majus gratiæ beneficium est, quam si vocaret alio tempore, quo scit, hominem non consenturum; & hoc majus beneficium Ecclesiam a Deo postulare. Cæterum etiam qui hoc modo dicunt, Ecclesiæ Orationibus contradicunt, quia hoc majus beneficium, qualecumque illud sit, non est illud beneficium gratiæ, quo Deus vere homines convertit; quod tamen petit Ecclesia in Orationibus suis: quia tunc præficeret Deus, hominem non ex efficacia gratiæ, sed ex se ipso consenturum, & ex illa naturali sua dispositione, supra impugnatâ, redderetque sibi vocationem congruam & efficacem; & se ipsum efficaciter converteret. Unde nec Ecclesia vere postulare, quod Deus homines converteret, sed quod daret illud auxilium, cum quo præficeret homines ex se convertendos esse. Immo hoc majus beneficium, quod dicunt, nunquam fuit negatum a Pelagianis; nec enim aliquando ipsi negarunt, majus esse beneficium gratiæ præmovere hominem interius; proponendo obiectum eo tempore, quo præficeret homo consenturus, quam alio tempore, quo præficeret non consenturus. Sed hoc expresse dixerunt Cassianus, & Faustus, ultimi illius temporis Pelagiani; & tamen S. Augustinus, lib. De dono perseverantiæ, cap. 8. ut manifestaret, illos per hoc, quod vocabant majus beneficium gratiæ, non admittere illud beneficium, quod Ecclesia petit in Orationibus suis, &c.

„ Quartum, quintum, & sextum desumebat ex conditione voluntatis humanæ, quæ secundum Apostolum in salutis negotio nihil habet, ab Auctore gratiæ non acceptum, in quo uno gloriarî sibi liceat: hincque colligebat, determinationem ipsam voluntatis ad bonum ex Deo ipso, vere, ac proprie efficiente, petendam esse, juxta Catholicæ fidei principia. „ Et certe, subjungo, hæc, cum Apostolus dicat: Quid habes, quod non accepisti, mirandum est valde, quod dixerint Patres in præcedenti Congregatione: „ Habemus ex nobis nostram determinationem, quam non accipimus a Deo, vere efficiente illam in nobis.

„ Nec modo Pelagianam, sed & Calvinianam, quam Thomistis objiciebant, hæresim a Molinianis suscitari, demonstravit: utpote qui, sub honesta tuenda libertatis specie, libertatem ipsam infundendo præcipitarent. In quos propterea illud Augustini (1) de Juliano, Manichæismum sanctissimo Doctore obijcente, merito caderet: *Monstrabo, quod tu ipse sic adjuves Manicheorum damnabilem, & nefandam impietatis errorem, ut nullum saltem patrum nec in suis dilectoribus valeant invenire.* Et illud ejusdem contra duas Epistolas Pelagianorum, lib. 2. cap. 1. *Nihil aliud nituntur, nisi ut horribili hæresi obiecta, cujus se adversarios*

*esse confingunt, lateant ininiçi gratiæ in laude naturæ.* Quapropter tria hæc, quæ gratiæ per se efficacis defensoribus obiter objecerat Molinianus Actor, ab iis nempe libertatem auferri; Gratiam sufficientem negari; Deum peccati auctorem constitui, non solum Augustino a Pelagianis obiecta, & ab eodem cumulatissime soluta, demonstravit; verum etiam in accusatoris retorici, quos hujusce criminis reos traduxit.

Hinc primam obiectæ collationis partem, quam solam Baltida recitaverat, aggressus est. De singulis articulis dixit paulo pressius, ut Thomisticum sensum a Calviniano fecerent: quod eadem difficultates in superioribus Congressibus occurrissent, ac tritis distinctionibus eliquarentur. Cui dum alter reposuisset aliquantulum (septem horis, & amplius inter disputandum jam elapsis) subjunxit: *Beatissimo Patre, hora est tarda. Ad hæc nolo aliud respondere, licet multa essent dicenda: sed remitto me ad dicta.* Quo verbo Congregatio finita est.

(2) „ S. D. N. die sequenti 11. Januarii per Patres Secretarios significavit Patribus Societatis, ut in futura Sessione afferrent rationes contra physicam prædeterminationem; & brevius, quam soliti erant, agerent; simulque in scriptis traderent pro Dominis Consultoribus totam, & integram collationem sententiæ Patrum Prædicatorum cum sententiâ Calvinii, quam in præterita Congregatione instituerant. „ Die vero prima Februarii exhibite sunt a Patribus Societatis quatuor copiæ Collationis (3) doctrinæ Patrum Prædicatorum cum doctrinâ Calvinii, cujus exemplar supra appositum est.

## CAPUT XV.

*De Gratia seipsa efficaci rationibus Theologicis disputatur Congregatione decima-tertia: Adversæ partis rationes in decima-quarta Congregatione damnantur.*

Die 25. Januarii 1606. præsentè Paulo V. Pont. Max. tertia-decima Congregatio celebrata est. Actum de Gratia per se efficaci rationibus Theologicis. Quocirca vix novi aliquid ab utroque Actore prolatum est.

Tribus potissimum pugnavit Ferdinandus de Baltida. Primam accerserat ex læsione libertatis; quia nec Gratiæ per se efficaci resisti, nec in sensu composito dissentiri potest, nec, ea posita, stat indifferentia voluntatis. Secundam ex gratiæ sufficientis conditione, quam nullam omnino fore, inquit, si quæ esset ulterioris gratiæ necessitas. Ultimam ex Divina sanctitate, quam peccati prædeterminatione violatam iri, arbitrabatur. His positis, varia deduxit incommoda, Thomisticæ sententiæ consecraria: Deum scilicet primo, & per se causare opera mala: æque proprium Dei opus esse proditorem Judæ, quam Pauli vocationem: non esse in potestate hominis, vias suas malas facere: hominem, dum mala opera exercet, non peccare: Deum non solum tentare homines, sed etiam vehementior tentatione, quam demon ipse urgere solet: Deum tandem peccati auctorem, & approbatorem esse.

Criminationes diluit Thomas de Lemos, iisdem principiis innærens, quæ ex occasione in aliis Congressibus identidem attulerat. Difficultatem, ex gratiæ sufficientis natura desumptam, aliquanto distinctius aggressus est; quoniam vix alias

alias occurrerat. Dicebat, inquit, vestra Paternitas, per auxilium efficace tolli auxilium sufficiens in his, qui carent efficaci, quia sine efficaci non possunt; ergo per sufficientem non possunt. Respondet S. Thomas quest. 1. De potentia, art. 1. ad primum. *Vel exceptio, sine, cadit supra posse, vel potest referri ad actum, videlicet ad converti. Si particula, sine, referatur ad potentiam, propositio est falsa; quia facit sensum, quod sine auxilio efficaci homo non habet potentiam ad se convertendum: quod est falsum. Si autem referatur ad actum, est verissima propositio; & facit sensum, quod fieri non potest, ut sine auxilio efficaci homo convertatur: In quo sensu cum S. Thoma loquuntur omnes ejus Discipuli. Sicut ista propositio, Sacerdos non potest consecrare sine pane, & vino, si verbum, sine, referatur ad potentiam, falsa est; quia facit sensum, quod Sacerdos sine pane & vino, non habet potentiam consecrandi: quod est falsum; quia per characterem potentiam ad id habet. Si autem verbum, sine, referatur ad consecrare, tunc est vera; & sensum facit: Fieri non potest, ut consecret sine pane, & vino. Et sic de multis aliis. Sic ergo oportet distinguere, & voluntur equivocationes.*

Frustra vero addebat, quod per illud auxilium efficace vel non completur potentia, vel auxilium sufficiens non est sufficiens: quia vel ante efficace est, jam completa per sufficientem; & tunc efficace non est necessarium; vel si post sufficientem adhuc non est completa, sed eget compleri per efficace: ergo sufficiens non est sufficiens, quia per illud adhuc potentia est incompleta. Respondo, quod potentia per auxilium sufficiens est completa in ratione potentie, separate ab actu; non autem est completa in ratione potentie, conjunctæ, & applicatæ ad actum. Sic S. Thomas 1. 2. quest. 109. art. 9. ad 1. *Etiam si justus habeat habitum virtutis, & potentie, adhuc eget alio auxilio Divino: nec sequitur quod habitus, & potentia sint quid incompletum, & imperfectum. Ita de auxilio sufficienti, ut Congregatione superiori pluries explicavi. Ob eandem rationem S. Thomas quest. 3. De potentia, art. 7. ad 1. inquit: virtus activa, & passiva rei naturalis sufficienti ad agendum in ordine suo; requiritur tamen virtus Divina, ratione jam dicta. Ex quibus duobus locis expresse habemus, hanc consequentiam esse nullam, quam hi Rev. Patres formant: Homo præter auxilium sufficientem eget auxilio efficaci ad operandum: ergo sufficiens non est sufficiens. Respondet enim S. Thomas his duobus locis expresse, non sequi hanc consequentiam. Dicimus ergo, auxilium sufficientem esse sufficientem in ordine suo, dando posse operari ipsi voluntati; requiritur tamen efficace, ut de factis operetur, & convertatur. &c.*

Addebat vestra Paternitas, quod, si dicamus, efficace esse necessarium ad operari, non tamen removeretur difficultas, nisi dicamus, esse in potestate nostra habere tale auxilium, cum liberit. Respondetur, falso putare hos Patres, auxilium efficace dare nobis operari, quatenus comitatur actus nostros, & nostram cooperationem. Semper enim tam Scriptura, quam S. Augustinus, & D. Thomas loquuntur de auxilio antecedenti, & dicunt, quod hoc est illud auxilium, quod facit, nos velle, & operari, ut factis in superioribus dictum est. Dicimus ergo, quod auxilium efficace præstat nobis operari in actu primo, quia Deus efficaciter per istud movet, & applicat voluntatem ad actum secundum, & facit, eam velle, & operari. Unde nullo modo dependet hæc efficacia a creata voluntate. Unde falsum est, quod in potestate nostra sit acquirere tale auxilium efficace. Et velle R. Pater contra se fecit judicium;

nam dixit Pelagianam esse sententiam, quod auxilium efficace sit pedissequum voluntati creata: At isti R. Patres pedissequum illud constituant, & dicunt, quod datur, quia volumus: hoc enim expresse fatentur: datur nobis, cum nobis liberit. Ergo sententiam Pelagianam tenent. Similiter, si Pelagianum est, ut ipsi dicunt, quod liberum arbitrium per aliquem actum suum faciat, ut auxilium sufficientem fiat efficace; nonne ipsi hoc fatentur in tota sua doctrina? Ergo non recedunt a sententia Pelagii.

Observabat insuper Vir eruditus, invidiosa illa consecraria a Molinianis Actoribus frustra congeri; quæ nihil ad præsens institutum attinebat, ubi de physica prædeterminatione, ad naturæ ordinem spectante, non agebatur, sed de gratia, ad bonum prædeterminante, e qua nihil istiusmodi timendum erat. Singula tamen enodavit ex abundantia, petitis ex Augustino responsonibus; cui isthæc eadem a Pelagianis, crambis imitar recoctæ, milles obiecta fuerant.

Ad quatuor horas protracta disputatio est, Actoribus per alternas vices reponentibus; donec Lemsius, ad afferendam libertatis humanæ, & efficacis gratiæ concordiam, istud argumentum efformavit: *Christus Dominus fuit efficacissimus prædeterminatus ad obediendum præcepto Patris; ita quod, tali inposito præcepto, non poterat non obedire; & tamen fuit perfectissime liber in obediendo, & meruit per illam liberam obedientiam: Ergo secundum fidem optime cum efficaci prædeterminatione libertas humana consistit.* Quo laqueo implicatus Baltida negavit in Christo potentiam, & libertatem ad dissentiendum: totamque argumentationem perperam accipiens, Dominicano Oratori crimini vertit; quasi eo Christi exemplo inferre voluisset, nullam nobis, sub efficaci gratia constitutis, inesse dissentendi potestatem. Inter hæc desit disputatio hora 24.

## Judicium de superiori Disputatione.

(1) „ Die Mercurii, 1. mensis Februarii, hora 15. anno 1606. celebrata est Congregatio ad expendendas rationes, productas a Patribus Societatis contra doctrinam de gratia Christi proprie dictâ, hoc est, efficaci ex vi Divinæ motionis, & absolutæ Dei voluntatis; quæ scilicet voluit, Petrum hic, & nunc convertere. „ Rationes autem erant, 1. quod tolleretur libertas humana: 2. quod tolleretur auxilium sufficientem: 3. quod constitueretur similiter Deus auctor mali &c. quibus expensis, resolvit Congregatio, illis non obstantibus, persistendum in decretis. Et ita censuerunt omnes, excepto Religente Collegii Carmelitarum, qui censuit, doctrinam de gratia congrua esse tutam; & argumenta ejusmodi, quæ faciunt rem saltem probabilem; & contrariam non esse de fide. Dimittitur Sessio hora 20.

## CAPUT XVI.

*De Gratia seipsa efficaci, ex Doctore Angelico, in decima-quinta Congregatione disputatur.*

Die 15. Februarii anni 1606. coram Paulo V. Pont. Max. habita est Congregatio decima-quinta. Eadem de re disputatio fuit ex auctoritate D. Thomæ.

Cæpit Ferdinandus de Baltida ab eximia sancti Doctore commendatione, quem universæ Theolo-

(1) Lib. 1. contra Julian. c. 1. (2) Ex Actis Secret. (3) Huic Collationi triplis scripto respondit Thomas de Lemos; tum demum integro volumine.

(1) Ex Actis Secret. Cardin. Zapata huic interfuit, sufficiens in locum demortui Cardin. Avila.

logia Principem vocabat, doctrinæ Catholica præcipuum Columnæ, communem Theologorum Magistrum. Hunc ab indigna, ut loquebatur, calumnia vindicare aggressus est, quæ a Thomistis nonnullis, uti physicæ prædeterminationis asseritur, ascribebatur.

Id ut exsequi posset, duplicem distinxit Thomistarum ordinem. In primo numerabat Capreolum, Conradum, & Cajetanum; quibus, ut inquebat, visum fuit, nullam juxta D. Thomam præviam motionem desiderari, ut causa secunda ad agendum applicetur; illumque nil, nisi motionem concomitantem, intellexisse, quoties istud axioma usurpavit: *Causa secunda non agit, nisi moveatur a prima*. In altero recensabat Bannem, Nunnum, Davilam, & alios bene multos; qui ultra concursum concomitantem, ab Angelico Doctore desiderari, putant, præviam entitatem, in causa secunda a solo Deo productam, qua ad singulos actus præmoveatur, & applicetur. Divum Thomam, juxta priores, physicæ prædeterminationi repugnare palam, colligebat Societatis Actor. Eundem vero juxta alios non ei satis adfavisse, contendebat; cum non illico consequens esset, præviam illam motionem prædeterminare physicæ voluntatem. Ideo ad internocendam Divi Thomæ mentem, videndum, ait, an ejus generis præmotionem admisserit, quæ ita physicæ prædeterminandi vim haberet, ut nec cum illa conjungi disensus, nec sine illa actus elici posset.

Quocirca sanctissimi Doctores testimonia, ubi eam negari existimabat, paucis exposuit: quorum quidem hæc summa erat. 1. Hominem ita a Deo moveri, aut adjuvari, ut tamen ipse per rationem se determinet. 2. Agentia libera a nullo altero principio determinari ad unum. 3. Deum nullam voluntati necessitatem inferre; sed quoslibet ejus motus & liberos esse, & contingentes. 4. Possibile liberum arbitrium Divinæ motioni resistere, eademque ponere obices. 5. Hominem, sub gratia constitutum, eadem illa, posse non uti. 6. Dispositiones, voluntati minime subiectas, necessitatem inferre. 7. Voluntatem ad primum actum moveri a Deo; in reliquis autem movere se ipsam. 8. Necessitatem antecedentem, ortam ex causis efficientibus, coactionem inducere. 9. Deum certitudinem prædeterminationis ex mediocritate multitudinis desumi; confirmationem in gratia ab externa Dei custodia repeti; infallibilitatem cognitionis futurorum contingentium ex eorum in æternitate coexistentia demonstrari. Ad quæ sane frustra confugeret Doctor Angelicus, si ei vel per somnium prædeterminatio physica venisset in mentem.

Orationis suæ finem convertit in Dominicum Bannem, novitum, ut ajebat, physicæ prædeterminationis architectum; qui, cum nihil, nisi Calvinum sciret, Doctore tamen Angelico, sententiæ suæ Magistro, & assertore gloriabatur: *Sed est, subiungebat, qui videt, & judicat: est Spiritus Sanctus, qui non alius quam Sanctitatis suæ lucidissimis oculis, & infallibili judicio rem desinit. Ego sane hoc uno irrefragabili argumento universa concludo: vel occidisse omnes, qui a trecentis jam annis S. Thomæ doctrinam evoloverunt, secuti sunt, aut persecuti: vel sententiam de physica prædeterminatione ex S. Thomæ mente non esse. Certum est enim, nullum ex veteribus, ante Dominicum Bannem, ita vel scripsisse: ut autem Divo Thomæ tale quid tribuerent, non somniasse quidem.*

Excanduit Thomas de Lemos ad amaram Oratoris Moliniani declamationem, qua Catholicum

Auctorem, ac de Ecclesia bene meritum, paulo liberius exagitaverat. Ita Pontificem affatus est: *Beatissime Pater; sanctum Thomam totum esse in prædicanda, & defendenda præventionis gratia Divina efficacia, quæ, independentem ab homine, ab efficacissima Dei voluntate procedit, ita notum est, atque manifestum, ut mirandum sit vobis, quam in vanum laborem Patres Reverendi, contrariam sententiam ex D. Thomæ contra D. Thomam fundere, propter testimonia, ab eis modo inducunt, sed non recte deducta, nec in veritate, ut expedit, intellexerit. Ex cuius enim alterius doctrinæ, illa Molinæ sententia, ut cepit potentius in Hispania divulgari, impugnata fuit, & expugnata, nisi ex hujus Doctores aperta, manifestaque sententia? Cum enim S. Thomæ ab ejus discipulis contra novam Molinæ doctrinam opponeretur, aperte a RR. Patribus, tanquam ignarus concordie liberi arbitrii, & gratiæ, rejiciebatur; & tamen jam modo idem S. Thomæ ab eisdem Patribus in suum patrocinium invocatur.*

Fateatur expresse Molinæ in CONCORDIA, disp. 26. & 27. impressionis Antverpiæ, S. Thomam manifeste tradere influxum Dei in causas, quo Deus eas præmoveat, & applicet ad agendum. Et tamen in hoc RR. Patres suam negant auctorem Molinam; & suadere conantur, S. Thomam hæc Divinæ applicationes, & præmotiones negasse.

Testantur Auctores ex Societate, quas jam in præcedentibus Congregationibus in conspectu Sanctitatis Vestre nominavi, S. Thomam, cum dicit, Deum immutare hominis voluntatem, ibi tradere physicam prædeterminationem. Et tamen isti contra Præceptores suos contendunt modo, hæc aperitissimam sententiam D. Thomæ, etiam ab eis agnitam, obscurare.

Et quod majus est, liber ille Societatis De ratione studiorum, (1) tanta cum industria a tota Societate compositus, & per sex selectos Patres ex præcipuis Provinciis elaboratus, atque per Generalem Societatis omnibus suis Collegiis, & studiis, pro forma servanda propositus, inter plures propositiones, quas fateatur esse S. Thomæ, & rejicit pag. II. tractatu De opinionum delectu in Theologica Facultate, regula V. Num. VI. hæc habetur: Secundas causas esse proprie, & univoce instrumenta Dei; & cum operantur, Deum in illas primum influere, aut eas movere. Et tamen modo, contra hunc suum librum, contrarium omnino suadere procurant. Quia enim coram hac Sancta Sede aperte S. Thomam negare, non audent, illum mutato stylo in suam sententiam violentè tradere conantur.

Ne quis autem Bastidam Majoribus suis oculatiorem putaret in internocenda D. Thomæ mente, Angelicæ doctrinæ analysim ob oculos posuit; ut plane omnes intelligerent, quam immerito in Molinæ patrocinium advocatus esset. Quinque capitibus complexus est universa. 1. Demonstravit, nihil æque in doctrina D. Thomæ certum esse, quam efficaciam Divinæ voluntatis, & Gratia, ante omnem liberi arbitrii cooperationem, unde infallibiliter humana voluntas operatio fecutura sit. 2. Deum efficaci voluntate sua bonum omnem liberi arbitrii usum prædeterminasse, ante quamcumque præsentiam, sive absolutam, sive conditionatam, sive mediam, sive quovis alio nomine vocitetur. 3. Deum eadem illa efficaci voluntate prædeterminasse, præviam quæpiam voluntatis hominum imprimere, quo illas efficaciter applicet, immutet, & in actu primo quoad exercitium determinet, ut illa semetipsas in actu secundo determinet. 4. Ea posita efficaci Dei præmotione, sive prædeterminatione, voluntatem semper operari, nec dissentire unquam; tametsi, stante hujuscemodi prædeterminatione, pos-

possit dissentire, si velit. 5. Universa oppositæ partis fundamenta ab Angelico Doctore occupata fuisse, ac penitus comminuta.

Mirum, quam prolixo sermone de singulis dixerit! Testimonia D. Thomæ protulit supra ducenta, adversarium graviter incufans, quod ejus interdum verba minus sincere protulisset: Capreolum, Conradum, & Cajetanum, mala fide omnino laudatos; Nunnum, Bannem, & Davilam, minus integre adductos, ostendit: cum nec illi præviam Dei motionem a sancti Thomæ mente alienam, usquam dixissent; nec isti qualemcumque præmotionem S. Doctore tribuissent, sed præmotionem, innata sibi virtute efficacem: qua voce prædeterminatio physica designatur.

Responsum ægerime tulit Ferdinandus de Baftida, eo præsertim nomine, quod Molinæ Scholæ Principum confessionem de D. Thomæ sententia objecisset. Quapropter, quæstis hinc inde diverticulis, Sodalium suorum judicia pro viribus emollire studuit. Quod Molinam attingit, insidari noluit Vir ingenuus, quin ideo male apud Hispanos Theologos audisset, quia sententiam de Dei in causis secundas influxum, cuius oppositam defendit, Angelico Doctore (1) tribuisse visus erat. At longe aliter de physica prædeterminatione judicandum, ait, quam Angelicæ doctrinæ principis repugnare, sæpius affirmaverat.

De Bellarmino audacius pronuntiavit; mirari se, inquiens, cur qui physicam prædeterminationem Calvinismi notaverat, a Lemosio, præsertim Pontifice, proferretur, quasi eandem illam Angelico Doctore tribuisset. Ita quippe Moliniano Actori placuit, aperitissimum purpurati Viri locum diffimulare, lib. 4. De Gratia, & lib. arbitrio, cap. 16. ejusdemque interpolatas a Germanis correctoribus editiones ostentare. (1)

Testimonium, ex libro De ratione studendi desumptum, eluxit: quia, inquebat, nulla lege, nullove præcepto Societatis Theologos atringit liber ille; sed eos tantum minime cogendos, decernit, ut ea dogmata teneant. Diffimulabat scilicet Vir acutus, ea parte vim argumenti sitam non esse, sed quod ea ipsa dogmata, quæ Societatis Theologorum arbitrio committebantur, D. Thomæ sententiæ esse, faterentur. (1)

Ut ut est, ad objecta sanctissimi Doctores testimonia gressum fecit. Horum non pauca tritis interpretationibus emollivit; quas in aliis congressibus identidem attulerat: Alia tacitus omisit. Non potuit tamen, quin palam fateretur, decretorium esse D. Thomæ testimonium quæst. 3. De potent. art. 7. ubi docet, Deum per aliquid voluntati impressum præviam applicare, & determinare voluntatem ad agendum: eoque confugit, ut nihil simile in reliquis ejus operibus, ac præsertim in Summa Theologica reperiri, diceret. Sed & hoc illi præclitus effugium Thomas de Lemos, laudatis ex Summa Theologica luculentissimis testimoniis, p. 1. quæst. 105. art. 5. in corp. & ad 3. nec non 1. 2. quæst. 109. art. 1. atque ita disputatio soluta est.

Serry Tom. I.

(1) In Conc. 9. 14. disp. 26. (2) Lege hic supra lib. I. c. 15. & lib. II. cap. 1. (3) Idem fassus est Suares lib. 1. Conc. cap. 11. & in opere posthumo, De vera intelligentia auxilii efficaci cap. 40. Idem & Bellar. lib. 4. De Gratia, cap. 16. Idem Correg. Covim. lib. 2. physica. c. 7. quæst. 13.

(1) Vide supra lib. 1. cap. 2.

De eadem ex Theologorum auctoritate in decima-sexta Congregatione disputatur: ac demum in decima-septima, uti D. Thomæ, probatque Theologus consona, pronuntiat.

Die 22. Februarii 1606. coram Paulo V. Pont. Max. habita est Congregatio decima-sexta. Eadem quæstio ex Doctorem Scholasticorum auctoritate agitata fuit.

Duo demonstranda sibi sumpsit Societatis Theologus. Primo, quam longissime ab infallibili, & certissimo fidei dogmate abesse physicam prædeterminationem, si eorum judicium liberet audire, quæ vel superioribus seculis, vel hac ipse ætate, doctrinæ, & eruditionis laude claruerant. Secundo, nihil unquam a Molina gravius, adversus novum Baanelii commentum, vel prolatum, vel insinuatum esse, quod ab aliis quam plurimis, iisque doctissimis viris, non antea fuisset, & postea multo severius, & gravius pronuntiatum: ut vel hoc unum argumento esse posset, illum ad hujus sententiæ impugnationem non studio contentionis adductum, sed eadem, a qua non pauci tanto antea abhorruerant, doctrinæ absurditate compulsam esse.

In hunc vero finem laudabat Thomam Waldensem, Albertum Pighium, Mariam Berratum, Judocum Clichtovæum, Franciscum Belcarium, Auctorem Antipologiam adversus Ministrorum Metensium Apologiam, Adamum, Armachanum, Joannem de Bononia, Robertum Bellarminum, Gregorium de Valentia, Alphonsum de Mendoza, Joannem Delphinum, Vincentium Giacharum, Thomam Stapletonum, Alexandrum Alensem, Henricum de Gandavo, Guillelmum Ochamum, Gregorium Ariminensem, Egidium Columnam, Andream de Castro, Ruardum Tapperum, Didacum Payva, Cunerum, Franciscum Carthagenam, Antonium Cordubensem, Gabrielem Biel, Hieronymum de Hangesto, Aureolum, Franciscum Zumei. Quorum alii docent, voluntatem nostram nulla impelli necessitate, sed Divinæ Gratiæ motioni reluctari posse; alii liberum arbitrium ita a Deo determinari, ut suorum tamen actuum dominus maneat; alii Deum peccari auctorem fore, si hominem ad peccandum impelleret. Contra homines vero sentientes, hæreticos, impietatis, blasphemæ, erroris, passim incufant.

Horum omnium testimoniis adductis, ita pro Molina adversus physicam prædeterminationem colligebat: *Quid Molinæ contra physicam prædeterminationem protulit? Ausseri dixit arbitrii libertatem? Idem dixit Alensis, dixit Henricus, dixit Gabriel, dixit Ocham, dixit Ariminensis, dixit Egidius, dixit Castro-novo, dixit Ruardus, dixit Payva, dixit Hangestus, dixit Cunerus, dixit Carthagena, dixit Corduba, dixit Delphinus. Quid præterea Molinæ contra hanc sententiam dixit? Sed qui ex illa, Deum esse auctorem peccati? Idem dixit æreum Illustrissimi Cardinales, Aureolus, & Bellarminus, Waldensis, Cunerus, Carthagena, Zumei, Clichtovæus, & Mendoza. Quid ultra dixit Molinæ? Repugnare hanc sententiam definitioni Concilii Tridentini? Idem dixit Ruardus, dixit Stapletonus, dixit Valentia. Et quod majori pondératione dignum est, Bononia affirmat, fuisse hanc sententiam in Concilio Tridentino discussam, & optimo jure rejectam. Quid tandem dixit Molinæ? Non*

Q 9

dubi-